



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-362138-p0001-8

DFG

VORL.

Y94⁸
que



36.
DISPUTATIO MEDICA
De
**DOLORE HY-
POCHONDRIACO,**

vulgò sed falsò
putato

SPLENETICO,

Qvam

Sub Præsidio

Viri Nobilissimi & Experientissimi

MICHAELIS ETTMULLERI,

Phil. & Med. D.

Publicæ Philiatrorum censuræ submittit

Author-Respondens

EMANUEL BLUM,

Hamburgensis.

Ad diem 4. Maji. Anno M. DC. LXXI.

H. L. Q. S.

LIPSIAE,
Apud NICOLAUM SCIPTIONEM.
Anno M. DC. LXXXIII.



1348.
Q. D. B. V.

PROEMIUM.

E Legans certè est illa comparatio , qvam inter hominis, an-
niqve ætates instituit Ovidius lib. Metamorph. 15.

Nam tener, & lactens , pueri q, simillimus ævo
Vere novo est. tunc herbarecens, & roboris expers
Turget. & insolita est: & spe delectat agrestes.
Transit in æstatem, post ver, robustior annus:
Fit q, valens juvenis. neqve enim robustior ætas
Excipit Autumnus, posito fervore juvenæ,
Maturus ; mitisq, inter juvenemq, senemq;
Inde senilis hyems -----

hominis & anni ætatibus illæ Scientiarum , Artiumqve respon-
dent; nam, ut rectè Sapiens loquitur Seneca : Multum egerunt majores
nostrí, sed non peregerunt , multa agenda restant posteris ; nec ulli post centum
annos exercendi ingenii deerit occasio: Ita legimus , Artis Pictoriæ adeò
tenera principia fuisse , ut rebus pictis nomina addiderint, eandem
verò progressu temporis ab Apelle vel optimè excultam, ac Naturæ
matris fætum egregiè adumbratum fuisse ; Ita medicamentorum
luxuriosa jam seges , de eorum singulatim agnità virtute surrexit;
In primis tamen, cum illis comparari potest, partium Humani Cor-
poris structuræ & usus cognitio: Hæc olim paulò obscuriori cali-
gine mersa erat, indè verò ab Harveo, Conringio, & forsan priùs à Pau-
lo Sarpa Veneto, motum sanguinis indicantibus , nonnihil firmiori
talo inniti cœpit , ac etiamnum novas vires & robur acqvirit, ma-
iores à seculi hujus felicitate expectans. Maximè verò omnium
controversa fuit haec tenus sententia de verâ structura & usu lienis, ve-
teribus huic multos morbos adscribentibus, recentioribus verò ipsi
patrocinantibus. Et horum quidem Clarissimorum Virorum ve-
stigiis



stigiis insistentes, & nos in præsentiarum lienem à doloribus ipsi vulgo tributis vindicare, eosdemqve colo potius adscribendos esse, demonstrare conabimur.

CAPUT I.

Historiam doloris Hypochondriaci recenset.

§. I.

Si quæ alia totius corporis regio, utique tertius venter, abdomen qvi vocatur Anatomicis, variis ac frequentissimis cruciatur doloribus. Inter plurimas autem, qvas hic includit partes, primariò *Intestina* dolorosè affliguntur in morbo scilicet iliaco, dysenteriâ, tenesmo, dolore lumbari, colicâ, passionibus Mulierum hysterics, doloribus in & post partum, doloribus scorbuticis, convulsivis, nephriticis, aliisqve similibus. Causas frequentiæ horum dolorum inquirentes principem locum tenere videmus confluentiam succi biliosi salin. volat. oleosi, & succi pancreatici salin. acidi, cum chylo, ejusqve relicto intestina incrassante muco; nam ex horum sub fine duodeni concursu, non potest non à particularum in primis salinar. hos liqvores componentium, diversimodâ constitutione insignis oriri agitatio & effervescentia, qvæ in sanis quidem blandè ac sine omni molestiâ peragit, in statu verò morbo hæc ipsa sæpius augetur, subinde etiam insigniter depravatur, quando videlicet vel chylus, in ventriculo non benè coctus, contumaciter spernit *Imperium Triumvirale* (ut hoc nomine succum biliosum, pancreaticum, & pituitam intestinalem indigitare cum *Sylvio* liceat) vel etiam quando horum unus alteri prædominari studet, vel ex læsa constitutione vitiosè cum altero effervescit, hinc enim illæ lancingiones, distensiones, tormina, frigora, æstus, similesqve molestiæ modò vagæ modò fixæ in abdомine oriuntur, de qvibus ægrotantes acerbè ut plurimum conqueri solent. Altera ab hac causa est frequentia flatum, vitiosæ effervescentiæ perniciosa proles, qvibus dum à pituitosâ intestinorum dilutâ crustâ, similiter ac à præcipitatis partibus debitò terrestrioribus, feculentioribus, viseosioribus, via intercludi-

1350.

tur, fit, ut intestina distendantur vehementius, & quasi violenter divellantur cum acerbo patientium cruciatu. Accedunt his tertio loco, nervei funiculi, intestina freqventer cingentes, ex insignioribus ac mirabilibus eorum in mesenterio plexibus, ut ad alias abdominis partes, ita specialiter ad intestina distributi, à quibus sive per essentiam irritatis, sive per consensum cum aliis corporis partibus affectis, varii spasmodici, convulsivi ac acerbissimi dolores, modò in unâ abdominis parte separatim, modò verò conjunctim in omnibus ferè simul excitantur.

§. 2. Hos inter dolores, si quis alius acerbus contumax & sàpè recurrens, est iste dolor abdominis, qui percipitur sub hypochondrio sinistro, & quem ad imitationem *Clariss. Sylvi lib. i. prax. cap. 14. §. 6. Hypochondriacum* vocabimus. Percipitur scilicet dolor gravisimè lancinans & pungens, interdum simul distendens & vehementer vellicans, fixus sub hypochondrio sinistro, & tam cavitatem illam, quam ibidem costæ spuriæ efformant, occupans, quam se etiam interdum latius extendens, ac partem illam molliorem lumbis conterminam obsidens, intumescientia sàpiùs ibi locorum manifestè appetet, nunc mollis & compressioni cedens, nunc verò tactui pertinaciùs resistens. Gravius ut plurimum urget dolor dum ægri supini jacent, uti & dum inspirant, tunc enim punctiones atrociiores percipere se conqueruntur, admotâ verò manu regioni dolenti, hacque compressâ remissio doloris & quoddam levamen percipitur; respiratio adest simul difficilis, non tantum ob punctiones tunc perceptas, sed quod inspirando thoracem suffcienter distendere nequeant, quin impedimentum aliquod in hypochondriis, mediaque regione epigastricâ, se opponere videatur. Præterea appetitus ferè semper simul est prostratus, supervenientibus interdum, si atrocior fuerit dolor, vomitibus contumacibus tam ingestorum quam liqvinum flavescentium, viridium, viscidorum, crassorum, tenuium, &c. sub quo vomendi conatu ægri miserabiliter de dolorem exacerbatione conqueruntur. Denique alvus ut plurimum est obstructa, rariùs naturaliter fluida, rarissimè nimis laxa, urgetque simul flatum copia, quo-
rum

D'E DOLORE HYPOCHONDRIACO.

5035A.

rum excretionē levamen aliquod, sed parvum, nec diu durans percipiunt ægri. His interdum accedunt, & vel potissimum in sexu seqviori, dolores totum abdomen occupantes, & ad genitalia excurrentes, qvi parturientium dolores ferè imitantur, hinc ad lumbos dorsumqve reflexi tandem disparent, successivè denuò recurrentes. Clysmata injecta, & primariò quidem ex emollientibus, ac abſtergentibus hinc & carminantibus, malum levare solent. Similiter quoqve remedia externa ex oleis destillatis penetrantibus, aromaticis, regioni abdominis stomachali, s. scrobiculo cordis ut vocant, item hypochondrio sinistro, & ubi totum abdomen occupatur, umbilici orbitæ successivè illita conducunt. Interius verò egregium usum habent blandè laxantia & viscidæ abſtergentia, nec non aromaticæ, item semina & radices sapore nonnihil acri, ac odore syavi pollentes. In genere verò omnia salia volatilia partibus oleofisis & spirituosis attemperata, item opiate addita magnarum hic virium esse experientia docet.

§. 3. Adstantes ubi audiant ægrorum querelas, subito *Lienis* & affectum & culpam incusant: His pleno ore assentiuntur ipsi ægri, *lienis* pessimum viscus execrantes, qvin non raro ipsi Medici aut falsa opinione seducti, aut ut auram plebeculæ captent, similiter morbum *lienis* vocant, *Die Milz-Beschwerung*. Applicantur ob id emplastra splenetica usitata, de ammoniaco, de circuta, meliloto, mucilagine semen. psyllii, &c. fiuntqve inunctiones cum oleis capparum, oleo & extracto nicotianæ, oleo amygdalarum, oleo irino, lil. albor. nardino, tamariscino, juniper. latérin. rutac. anethin. qvæ diutiùs continuata, tandem non sine fructu sunt. Assumuntur etiam per os usitatè Spiritus cochlear. nasturt. aq. & essent. spleneticæ, essent. splenis bovis, ess. fumar. compos. Tinct. essent. flor. croc. & salia martialia, faccharum. Saturn. Remed. ex Tartaro parata, similiaqve qvibus & aperiatur obstructus *lien*, & dissolvatur ejusdem infarctus, ut humoribus liber exitus concedatur, indeqve isti dolores sopiantur.

C A P U T II.

Subiectum Doloris Hypochondriaci declarat.

A 3

§. I.



§. I.

Splenis viscus usitatè incusari, ex dictis non minus quam quotidiani vulgi querelis patet; Nos tamen adæquatum affectus hujus Subjectum esse dicimus intestina sub hypochondrio sinistro delitescentia, tam tenuia, quam primario crassa, & ex his quidem frequentiùs intestini coli istam partem, quæ hypochondrium sinistrum occupat, & ubi colon ex ampliori cavitate arctius nonnihil constringitur, ut optimè observavit C. Bauhinus, simulque angulari figurâ curvatum ad renem sinistrum descendit; Est enim hic locus aptissimus, in quo aut scybala indurata hærere, aut mucilagines acidæ stagnare, aut flatuum impetus cohiberi, retrudi, ac retroflecti possit; Ex quibus quid aliud quam dolorum varii cruciatus, lancingiones, rosiones, punctiones, distensiones subnasci possunt; teste Hildano cent. 5. obs. ss. ubi ita habet: Cum excrementa, in superiori & capacissimâ intestini coli parte, in globos magnos, prout capacitas ferebat, indurata, à flatu versus hanc angustiam magnâ cum violentiâ pellantur, accidit, ut non nisi summo cum dolore permeare possint; Ex intestinis verò tenuibus, eam jejuni partem, quæ à lumbis liberius in hypochondrium sinistrum assurgit, ibique incurvatur, simili dolore interdum quoque sed secundario tantum affici, omnino cum Sylvio asserimus. V. Sylv. prax. p. 147. ut rariùs hoc ipsum contingere soleat.

§. 2. Quod si exactè consideremus, quæ circa tales ægros eveniunt, vel spontè asserti nostri veritas se manifestat; Situs enim doloris, exactè ad coli situm & conformatiōnem ibidem locorum se conformat, descendens subinde deorsum nonnihil ad renem usque sinistrum, aut extendens se sub costis nothis non parùm versus hypochondrium dextrum; Imò evenit interdum, ut similis dolor, qui ante erat in hypochondrio dextro, successivè transferatur ad sinistrum, ibique fixâ sede firmatâ atrocius affligat; Unde etiam est, quod Clysmata tam potenter ferant opem, præsentaneumque interdum sint remedium, quod & contactus & virtus eorum huc in primis pertingat. Accedit, quod quò contumaciore est alvus, eo dolor sit atrocior, & quo illa fluidior, eo hic remissior; Item quod excretio flatuum malum levet, quos ex liene proficiuntur

qvis



DE DOLORE HYPOCHONDRIACO.

7053

quis afferat? qvin hi ipsi potius nullibi magis quam in *Intestinis* specialiter verò in *colo* stabulantur. Econtrà *lien* ratione situs, qui est sub costis, ita ut ultimam harum infimo suo extremo vix ac ne vix quidem contingat, tumorem vel visibilem oculis offerre, vel manu palpabilem tactui representare nullo modo potest, id quod tamen veterum volunt asserta; nisi forsan *laxata admodum vel rupta sint vincula*, quibus diaphragmati, omento, ventriculo, locisque vicinis annectitur; quale exemplum in *Obs. 3. M. Bogdan. affixis Cultro Anatomico Lyseri* prostat; vel ab humore in eo stagnante in immensam mollem assurgat, de quo *Vid. Malpigh. de strudur. & usu viscerum, ubi de liene,* vel etiam ipsum *lienis parenchyma*, modo texturā hanc membranosam ita appellare fas sit, enormiter excrescat; observante *Bartolin. C. 1. ep. 62. p. 254. & C. 4. ep. 13.* Quæ omnia tamen rarissimè fiunt, cum dolor *hypochondriacus* sit frequentissimus; & posito illa adesse, tamen talia symptomata qualia hypochondrio sinistro dolentes habent, non inferunt, de quo infrà. Præterea, ratione parenchymatis adeò inflari nequit *lien*, ut in sinistro hypochondrio extuberet, & admotâ manu cum murmure tumor intus occultetur, id quod soli *colo* ibi locorum proprium: Nam *splenis parenchyma*, adeò ineptum est extensioni à flatibus, ut etiam nisi magnâ vi in exempto exsiccatoque fieri non possit. Omnes itaque *splenis* dictas inflationes, potius flatuum aut in *jejuno* aut potissimum in *colo sub hypochondrio sinistro* coacervationes dixerim. Exemplum sit inflatio ista splenis, quæ est apud *Forestum lib. 20. Obs. 4. p. m. 276.* quam in *colo* fuisse cæcus sit, qui non apertè videat. Propterea namque etiam evenit in tali *hypochondrii dolore*, quod manus loco dolenti cum forti compressione admota, quatenus flatuum agmina disjiciuntur, dolorificæ distensionis, lancingationisque, levamentum adferat.

§. 3. Sed ne solis speculationibus indulgere videamur, vel observationes Practicæ idem oculariter testantur. *Vid. Salmuth. Cent. I. Obs. 24.* Quæ observatio luculentissima est, ad confirmandam nostram hypothesin, scybalis per sesquiannum in *colo* retentis, affectum & dolorem vulgo habitum *spleneticum*, exactissimè cum omnibus symptomatibus inferentibus. Cui simile sed magis adhuc stupen-



stupendum, infarctus talis per sexennium continuati, pro scirrho
 contumaci habiti, exemplum recenset *Fernelius lib. VI. de partib. morb.*
 & *symp. c. 9.* Nec minus eleganter nostram opinionem illustrat,
Obs. 58. in Cent. I. Hildan. Qvibus adjungatur observatu dignissimus
 affectus & cura, relata à *Sylv. prax. c. 14. p. 168.* Pertinet etiam hūc ca-
 sus *36. Cent. I. Gabelchouer.* qvem splenis dolorem, *colicam hypochondria-*
cam fuisse, curatio ejus testatur. Vix dubito, qvin & *Obs. 21. Pa-*
naroll. Pent. 2. huic albo inscribam, scilicet, qvia mucilaginosæ
 sordes, à jusculo cum spir. vitrioli, attenuatæ solutæqve fuerunt,
 unde transitu per anum reperto, *spleneticus* putatus liberatus fuit.
 Hinc cautè monent omnes Practici, cavendum, ne dolor hypochon-
 drii sinistri cum dolore *lienis* confundatur. *Vide sis Hildan. cit. loc. &*
Forestum l. 20. Obs. 2. Schol. p. 275. qvo loco libenter concedit, *dolorem*
colicum distendentem acutum & interdum mobilem, *dolorem* vero
lienis gravativum tantum esse. Reliqvi Practici, ubi ad diagnosis
 doloris ex virtio & affectu *lienis* perveniunt, potius alia signa ad-
 ducunt, qvibus is affectus cognosci debeat, qvam ut proprium
splenis dolorem monstrare possint: Et tamen hæ ipsæ notæ, qvibus
splenem laborantem exprimere conantur, de gravitate, videlicet in
 hypochondrio sinistro, de dolore à longâ ambulatione, eqvitatio-
 ne aliove vehementi exercitio, de appetitu prostrato, fluxu hæmor-
 rhoidum ablato, spiritus difficultate, mæsticiâ, somniis turbulentis,
 de utilitate supervenientis dyarrhoeæ, dysenteriæ, humorumqve
 acidorum vomitus, item qvas de colore cutis atro, excretis nigris,
 rugitu & murmure in sinistro hypochondrio referunt, ea omnia
 partim *Colo & intestinis* affectis vel maximè convenire dicimus, partim
 verò antiquam istam *Galeni & Avicennæ* Doctrinam sapiunt, & fal-
 sæ ac præconceptæ illi opinioni de officio *Lienis* circa humorem
 melancholicum superstructa sunt, Nimis *Lienem* ex Epate per
 vas venosum attrahere crassum ac limosum succum, ipsis vocatum
 Melancholicum, illum alterare, ac ex ipso conveniens sibi alimen-
 tum elaborare, reliquo inutili ad Ventriculum, per vas breve
 amandato: Qvod si jam eveniat, addunt, ut transitus hic denegetur
 excrementum hoc in totum corpus redundans, id ipsum necessario
 inqui-

DE DOLORE HYPOCHONDRIACO.

9 N355

inquinat, variisq;e morbos, imprimis verò icterum nigrum, Scorbutum, Affectionem hypochondr. inducit, simili modo ac ex obstructione vesiculæ felleæ icterus flavus generetur. Qvorum tamen omnium explicatio, ex aliis longè fontibus haurienda.

§. 4. Res ut pateat ulterius, consideremus saltem dolorem istum punctorum hypochondrii sinistri, qvi post vehementiores corporis motus, & exercitia accidere solet, & in specie post eqvitationem torqvet, uno ore das Milzstechen vocatus; unde etiam natum vulgare illud dogma, eximi posse aut saltem debere, cursoribus Lienem, ut citra punctorias has molestias, citationi cursu pergere possent, de quo consulatur Cl. Mæbius in *fundament. physiolog.* Verum hunc Dolorem non esse *Splenicum*, ipse Sennertus, qvi tamen alias ex hypothesi vulgari Lieni ejusq;e dolori multum adhuc tribuit lib. 3. prax. pag. 498. libenter fatetur. In eo tamen à nostra opinione declinat, qvod Peritonæo illum acceptum ferat, cum potiori jure *intestinis ibidem locorum arctatis*, & in specie *Colo*, ejusq;e angustiori peripheriæ in curvaturâ sit adscribendus. Unde etiam est, qvod post pastum crebrius assurgat talis dolor, quando scilicet & copiosiores flatus ex alimentorum recenti assumptione & distributione, intestina distendunt, & colon à vicino ventriculi fundo magis comprimitur, & angustatur: ita & impressio digitorum in locum puncturæ, aut fortior manus applicatio, dolorem sopit, qvatenus flatuum impetum retrudit ac retroflectit, qvorum emissione dolor sensibiliter levatur, id qvod ex *Liene* qvomodo deduci possit non video; Prætereà dolores hujusmodi eis in specie graviores incumbunt, qvi affectione hypochondriacâ laborant, ac indè largiori flatuum ditati sunt proventu. Dum E. per motum & exercitium in concalvatis intestinis flatus impetuoso turgescentiâ vagantur, sub hypochondrio sinistro ex qvacunq;e causa hærent, dolorum istorum punctiorum causæ existunt.

§. 5. *Intestinorum* si consideramus substantiam, Doloribus acutis concipiendis aptissimam, (sicut reverâ, qvam acuti sint & torquentes, tantum non quotidiè experimur) è contra verò *Lienis* parenchyma qvam his ipsis sit ineptum, magis magisq;e nostra

B

con-



1356

confirmatur opinio. Est enim totum *Lienis* corpus membranarum congeries in Cellulas, & concamerationes efformata sive distincta; qvæ apum veluti favos aptè repræsentant; In his cellulis copiosissimæ & ferè innumeræ sunt glandulæ ovales, coloris albi, racematis tanquam uvæ botrus, invicem contextæ, cum septem vel octo singulus qviqve botrus conglobetur: Has intersparguntur arteriarum & venarum capreoli, qvibus intertexuntur fibræ copiosæ, cum numerosa ramulorum sive fibrillarum sobole, prognatæ ab interiori membranâ *Lienis*, sive à capsulâ ejusdem, ad robur mollioris substantiæ, sive ut sint tanquam trabes, pro firmando parietibus vasorum sanguineorum & nervosorum ac cellularum. Hanc *Lienis* structuram, hactenus omnium Anatomicorum sedulitatem eludentem (Hoffmannus enim & alii parenchymatosam carnem appellant, *Higmorus* verò concretum sanguinem vocat; omnesqve Anatomici uno consensu sanguinem congruumatum circa fibras nerveas pronuntiarunt; decepti, qvod vel levissimâ cultelli admotione, arteriarum & venarum qvasi filamenta sanguinem pro supplemento spatiolorum, qvæ sunt inter glandulas illas, effundant, ac sic densam caliginem oculis offundant) uti primus lustravit *Malpighius*, ita & idem ad absconditas symptomatum hujus visceris causas, facilius penetrare potuit; Nimirum vel à copioso humorum per arterias nervosqve affluxu ad glandulas has vel vitio vasis auferentis, vel appulsæ materiæ energiâ, *Lienem* interdum laxum & ut plurimum amplum redi, continuato nihilominus perpetuò sanguinis affluxu in tumore jam facto. His ita trutinatis, dolorem pulsatorium ex sanguinis arteriosi motu, aut gravarium ex parenchymate ejus, variis excrementis infarcto, aut *Teste Bartholin.* cent. 4. ep. 14. ultrà molem naturalem excrescente, ipsis libenter concedimus; imò ut largiores simus, & tensivum qvendam, obscurum tamen dolorem, ex distensione ejus membranæ, tandem largimur: sed acutum, pungentem, lacerantem, terebrantem & tam atrociter torquentem dolorem ut inferat parenchyma ejus minus sensile & cuius structura huic omnino repugnat, nulli admittimus, qvin hos soli *Colo* & aliquando *Intestino tenui* ibidem

dem locorum incluso constanter adscribamus; Nam & duri tumores & scirrhi *Lienem* infestant, qui tamen citram ullam insigniorem molestiam, saepè etiam insensibiliter succrescere solent, pluresq; ad annos circumferuntur.

§. 6. Dolenda interea est *Lienis* conditio, cuius structura & usus legitimus, uti hactenus plane stetit incognitus, ne dicam neglectus, ita nihilominus tot malorum morborumque à vulgo ignaro habetur sentina, ut tantum non relegare istud & exterminare ex Republica microcosmicâ, volupe ducant; Sed innocentiam ejus egregiè defendunt *Sylvius disp. de usu Lienis*, ob id à quibusdam malevolis titulum Patroni *Lienis* adeptus, item *Coring. Tr. de gener. & usu sanguis*. Nam neq; ve scorbuti, neq; ve Mali Hypochondriaci, neq; ve icteri nigri fomes & focus est *Lien* obstructus, vel alio modo vitatus; nec magis *Qvartanæ* cubile est *Splen*, quam *Tertianæ Hepar*. Et posito quod Emplastrum *Helmont. Tr. de febrib. p. 776*. *Splenis* regio appositum centenas *Qvartanas* tutò persanarit, nihilominus tamen hoc ipsum, non magis sedem esse ejus in *splene* probat, quam quod Emplastrum febrile *B. D. Michaëlis* ex fuligine Therebinth. camphor. &c. quo carpis manuum applicato, in sene decrepito aliquando, eandem *Qvartanam* curavit, (non secus ac similia externa saepius mirabiles edunt effectus) probare deberet, eandem aliasve intermittentes residere in carpis manuum. Plura alia *Helmontii de Splene* lepidè asserta, tam quoad jus duumviratus, quam quoad somni vigiliumque radicem, nec non vim genitalem ex eo derivatam, sufficienter infringit canis sine *splene* optimè se habens, & omnes actiones quâ vitales, quâ animales & genitales, alacriter obiens. Neq; ve tamen hæc ita accepta volumus, ac si in totum *Lienis* morbos negaremus, ac universaliter omnes ejus obstructiones rejiceremus, nam inquisitiva Anatomicorum manus, plus satis easdem ad scirrhosam lapideamque duritiem impactas, nobis detexit; sed hoc tantum urgemos: I. Saepius incusari *Lienem* ejusque parenchyma, tanquam obstructum & infarctum in morbis Chronicis, in primis vero affectibus appellatis melancholicis, ut ut id solâ præconceptâ opinione, sine ratione manifestâ, sine signo saltem probabili ad-

1358

struatur, qvod confirmat experientia Cl. *Sylv.* qui *disp. de Liene* testatur, se in cadaveribus longè ultrà 100. dissectis, & ex his plurimis per omnem vitam Malo Hypochondriaco, melancholiā &c. laborantibus, imò ob illam extinctis, semper satis sanum ac floridum observāsse hoc viscus, nunquam vero inflatum, induratum, vel obstructum. 2. Tumores, scirrhos, & infarctus hujus visceris, qui non raro in morbis chronicis deprehenduntur, & quidem specia-liter in *Qvartanā*, non tam radices esse horum morborum, aut fomites, qvam producta morbosa istis inveteratis supervenientia, ac ex vitio primæ digestionis orta, simili modo, ac calculus produc-tum est morbosum, ex certâ istâ ametriâ salium, qvâ cadē se facile coagulant, ipse vero morbus est lithiasis: adeoque hi *Lienis* tumores obstructionesq; effectus potius morbosí erunt, qvam causæ radicales.

C A P U T III.

Causas Doloris Hypochondriaci materiales & formales scrutatur.

CAUSARUM dum studemus evolutioni, has melioris doctrinæ gratiâ, in proximas & remotas, ex rebus non naturalibus desumptas, dividemus; Inter proximas I. se offerunt scybala & feces alvinæ induratæ, id qvod fit 1. dum, vel à diurnâ retentione exsiccantur, qvatenus aliæ fluidæ chylosæ partes à venis lacteis absorbentur, & forsitan aliæ tenuiores agiliores & volatiliores perpetuò per poros cutis transpirant, unde partes crassiores & terrestriores suo vehiculo destitutæ, magis concentrantur & compinguntur, ac ob molem suam neque motu illo peristaltico, neque compressione à partibus vicinis promoveri queunt: Tale exemplum est in *Salmuth. C. i. obs. 24.* quando per sesquiannum Scybala fuisse retenta dicit, item in *Cent. 3. obs. 45.* Id qvod etiam accidere potest à sudore copioso vel ab exercitio vehementi, &c. 2. dum à coagulatione nimiâ indurantur, id qvod in primis accidit, aut vitio Succorum sub finem Duodeni miscendorum (qvod *Grafius* succi pancreatici vitiosæ aciditati, ac austeriori adscribit) aut assumptorum, qvan-

quando hæc duriora, viscosiora, ac in ventriculo non bene cocta, neq; in intestinis cum bile & succo Pancreatico satis permista fuerint. Ex his enim & similibus causis, scybalæ prædicta facile subsistunt, in cellulæ *Coli*, in specie tamen ubi sub hypochondrio sinistro angustatur & incurvatur, ac adeò dolores & sæpius duritatem tactui resistentem inferunt. Teste præter obs. *Salmuth.* suprà allegatam, *Schenck.* in obs. lib. 3. ubi plura adducit similia exempla: Qvo simul facere videntur *Colicæ* aureæ ex nummis aureis deglutitis observatae à *Bartolin.* Cent. 3. ep. 69. & *Borello* Cent. 4. obs. 25.

§. 2. Post Scybalæ sese offerunt, fôrdes mucilaginosæ & viscidæ, eæ scilicet qvas vulgò pituitam vitream nominant, Paracel-sus verò, in sensu latiori, *Tartarum* fecalem & mucilaginosum, qvod succo illi, qvi in vino circà doliorum parietes concrescit, qvodammodo similis, & acidum subtile coagulans feces, ejus sit primordium, appellat. Producuntur autem hæ fôrdes in nimiâ copiâ, modò ab alimentis difficulter digestilibus, viscidis &c. de qvibus inferiorius dicendi erit occasio: modò à fermento stomachico deficiente in digestionis negotio & loco chyli volatilis falsi, liqvamen viscidum tenax mucilaginosum & ut plurimum vitiosè acidum producente: interdum etiam ex inertia s. deficiente acrimoniâ succi pancreatici & biliosi non abstergentium, nec resolventium mucum intestinalium superfluum. Ab his & similibus causis, pasta crassa, viscida, ac tenax, sæpius acida & pontica, generatur, ventriculi & primario intestinalium lateribus agglutinanda & infacienda. Teste *Salmuth.* Cent. 5. obs. 78. Vedit Dn. *Peucerus* in Italo qvodam *Colicâ* consumo, dissectoq; totum Colon pituitâ obductum relieto saltem foramine digiti crassifie. Huic proximè accedit, qvod refert *Sennert.* l. 3. prax. de Cl. Lipsio: hunc sc. aliquando materiam adeò lentam & tenacem paulatim in totâ intestinali fistulâ à vitâ sedentariâ ac in studiis contabescente, coacervatam ejusq; figuram retinentem per alvum rejecisse, ut se omnia intestinalia effudisse putarit. Affinis his est locus ille *Fernelii* suprà allegatus, ubi *Coli* ex zoro à pituitâ infarcti legitur exemplum. Hæc pituita, si simul, id qvod ut plurimum contingit, vitioso acore, sive ex stomachi errore, s. ex succi pancreatici vitioso acore omnibus partibus membrano-

4360

branolis hostili, inquinata ac in *Colo sub hypochondrio sinistro* collecta fu-
erit, fixum continuò lacinantem, & , quasi aculeis pars perfora-
tur, atrociter pungentem apto vocabulo terebrantem appellatum,
dolorem infert.

§. 3. Freqventes deniqve dolorum vulgò dictorum *splenico-
rum* causæ flatus sub hypochondrio sinistro inclusi. Hi, ipsi non
à calore neqve à frigore, ut veteres voluere & in qvam mentem lo-
quitur *Forestus lib. XX. obs. IV. inschol.* Generatur igitur ventosa flatu-
lentia, Teste *Aetio ex frigiditate membrorum eundem producentium, & cit.
loc. addit: aromatica propinare nolui, ne materia illa frigida in flatus dissol-
veretur, sed per vitiosam generantur fermentationem, probante,
id Kergero tr. de ferment. 3. c. 4. p. 223.* prædominante in hâc vitioso ac
p. n. acido, idqve sæpiissimè in subjectâ materiâ viscidâ. Generari
dixi flatus per fermentationis modum, ita ut reverâ non inexistant
assumptis, sed de novo producantur ex eisdem, sive in stomacho
sive in intestinis hoc fiat; Non secus ac ex musto fermentante eru-
ctatur gas copiosum flatulentum, qvod anteà in eo non erat, sed per
fermentationis demum modum excitatur. Hinc est qvod hypo-
chondriaci, ex qvibusqne fere assumptis copiosos generent
flatus, cum contra robustus stomachus, vulgò flatulenta dicta, citrâ
eorum proventum potestate sui fermenti digerat. De quo vid.
accuratius *Helmontius tr. de flatib.* Sunt nempè flatus, novum qvod
damens spirituosum, spiritus scilicet sylvestres incoercibiles &
non coagulabiles, qvos ex defectu Etymi nomine *Gas* appellat.
Helmont in suis scriptis, & qvos neqve præcisè salinæ, neqve sulphu-
reæ naturæ esse, sed ex utriusqve actione aliquod emanans tertium,
aptè asserit *Becher. phys. subterrani. l. i. f. s. c. 2.* Hi E. flatus impetuosius
per amplitudines *Coli* delati, impingunt in lateris sinistri eâ parte,
qvâ id incurvatur ac angustatur, unde in se coacti cum murmure &
borborygmis non rarò sensibilibus retro flectuntur, & molestum
distensionis lacerationisqve sensum inferunt, tunc imprimis qvan-
do respirationis actione diaphragma deorsum pulsum, *Colon* ibidem
substratum premit, ac ita flatus in angustum spatiū cogit, unde
non rarò tumor elevatur, qvi affectione hypochondriacâ laboran-
tibus potissimū familiaris est & malè *inflatio Lienis* dici solet. §. 4.

§. 4. Fuerunt hæ causæ proximæ; accedo ad remotas, ex *sex rebus non naturalibus* desumendas: has inter 1. est *aer* frigidus ab domine vestibus non benè munito susceptus; qvod si enim juxta *Hippocrat.* Densam ac duram cutim habentes facilè offenduntur, qvod excrementis in corpore contentis, non pateat liber exitus per cutim, multò magis frigus, non modò poros claudens, sed etiam pereos se forsan in corpus insinuans, subinde intestinorum varios dolores inducere, pituitamqve ipsam inspissando, malum hoc excitare posse opinamur; Sic *Forestus* dicit fratrem ipsius statim à refrigeratione pedum *dolorem Colicum* incurrisse lib. XXI. obs. IV. id qvod etiam *Hippocr.* §. 3. aph. 5. & 17. testatur 2. *assumpta vel qualitate,* qvâ fermentum stomachale obruunt, ita ut hoc tantæ activitati insufficient redatur; vel *qualitate suâ*, scilicet quatenus aut difficulter sunt coquilia, aut viscida aut mucilaginosa, aut astringentia, ad hanc passionem disponunt. In horum classe constituti sunt pisces, freqventer comesti, item castaneæ, mespili, & alia vulgaris notitiæ; ita ex *Mæb. instit.* p. 43. patet, ex spirarum in nimiâ copiâ assumptione dari alvum obstructam; ita *Schenk.* l. 3. obs. ex cerasorum cum nucleis devoratione, alvum per 3. septiman. clausam fuisse, & eosdem post id tempus per alvum demum exiisse notat. Ita *Cornarius* ova indurata & comesta alvum adstringere observat. Conf. 4. Ita *Sennertus* ex *Platero* annotat, qvendam *Colicis* cruciatibus diu vexatum post clysmatum usum casei (qvem copiosum anteà assumferat) concreti induratiqve, magnam copiam per alvum excrevisse; ita *Uvae* cum pelliculis comestæ, lethalem alvi contumaciam aliquando induxerunt; pelliculæ enim harum cum facultati digestivæ relutentur, ac insigniter acidæ è stomacho in intestina elabantur, fit ut coagulentur excrements, ac sic pertinacissima obstructio seqvatur. Consideranda venit etiam ipsa stomachi cruditas acida, ex qvâ in intestinis postmodum per vitiosam fermentationem producuntur flatus, infarciente eadem de causa copioso muco intestina, & in specie colon ejusque cellulas. Id qvod in iis ad oculum patet, qvi affectione hypochondriacâ laborant, in his enim acidum hoc nimium & vitiosum in stomacho modo dictos effectus, tanquam pedisseqvas secum dicit.

§. 5.

§. 5. Præter talia, & flatulenta & in specie fermentativa assumpta, dolorosas has in sinistro latere dant turbas; Est scilicet, qvorundam assumptorum hæc natura, ut sub digestione stomachi fermentativa, copiosum gas eructent v.g. ex uvis comestis, it. ex ceps, qvod partim sub ru^{ct}uum nomine per os exhalat, partim per pylorum erumpens intestina flatibus replet, unde talia flatulenta dicuntur; sed & in primis fermentativa assumta hic consideranda sunt, ut fructus horœi, item musti potus, omniaqve mellita ac saccharata, qvæqve ad horum naturam accedunt; talia enim in passione hypochondriacâ virorum & suffocatione hystericâ mulierum, qvæ ferè coincidunt, cum vitioso acido effervescendo, copiosos flatus producunt, & sic doloris hypochondriaci fomitem ministrant. Novi mulierem, qvæ ex potu vini tenuis cum saccharo probè edulcorati, in atroces abdominis & in specie hypochondrii sinistri cruciatus incidit; Cumularat autem ea antea ex ineptâ diaetâ copiosam pituitam, unde ex potu fermentativo superingesto, flatus excitati ac in colo hinc inde coërciti & oberrantes, tam atroces dolores infreabant; simile exemplum refert *Forestus* de mercatore qvodam, cui ex flatulentorum ciborum ingestione, & potatione musti, & tumor insignis & ingens dolor in latere sinistro exortus fuit, qvi cum copioso flatuum exitu finiit.

§. 6. *Somnus* & ipse nimius ad intestinorum infarctum ac scybalorum aut viscidiorum excrementorum in *Colo* hæfionem plurimum disponit. Id qvod etiam *de quiete* valet. Qvemadmodum enim motu ac exercitio corporis sanguinis circulatio, ejus vitalis fermentatio ac spirituum volatilium generatio augetur, undè & alimentorum fermentatio, assimilatio, distributio & heterogeneorum separatio, ac præcipitatio promovetur, ita è contrario *somnus* nimius generandis & coacervandis crudis succis inservit, & omnes excretiones sensibiles consvetas, dum dormiens. horarum spatio, occultè, salubriter, & sine violentiâ perspirare solet, duplò magis, qvàm vigilans teste *Sanctor. in Med. Static. f.4. aph.2.* tam propter spirituum animalium tardiorem motum, qvam propter partum agiliorum transpirationem insensibilem transßudationemqve sen-

sensibilem impedit, undē & ipsa excernenda imminuta, indeqve intestinorum retenta plurimum aucta tandem dolorem nostrum inferunt, ut ex dictis patet: Ut namque alias legitimum sanitatis conservativum est motus, vicarius nempe omnis V. S. purgationis aut alijs cujuscunqve sanguinis correctionis, id qvod rusticorum & mechanicorum gens præ aliis sana confirmat, ita somnus immode-ratus & nimia qvies plurimis in specie diuturnis ægritudinibus fenestram aperiunt. Animi affectus ad motiones spirituum & humorum commodè referuntur, unde in qvibus minus hi agitantur & moventur, ut in mœrore, tristitia, metu &c. ad dolorosum hunc affectum disponunt, in qvibus verò iidem vehementius moventur, ut in irâ, gaudio &c. potius hunc ipsum curant.

§. 7. His ultimo loco ex rerum naturalium genere, annetenda venit peculiaris qvorundam Idiosyncrasia, qvâ miræ stipticitati alvi qvidam sunt obnoxii; qvod utut citra insignius incommodum fieri soleat, tamen periculo non vacat, qvin diutiūs retenta scybala in *Coli anfractu sinistro* dolorem hunc inducant. Cujus Idiosyncrasiae exempla videantur in *Sennert. l.3. prax. p.2. f.2. c.4.* Item *Bartol. c.4. hist. 40. Panaroll. pentec. 1. obs. 1. & 17. Sylvatic. Conf. 46. l.3. Rodio cent. 2. obs. 81. Salmuth. c.2. obs. 65. & c.3. obs. 36. Schenk. lib. 3. obs. Neibom. de usu flagror. p. 7.*

§. 8. Fuerunt hæ causæ materialiter consideratae, videamus jam earum efficaciam formalem, seu rationem, sub qvâ talem inferrant dolorem, sæpè miseros ejulatus extrudentem; scilicet, qvicquid obstinatus tanquam hostile irritat sensum Intestini *Coli*, in ea parte ubi angustatum & incurvatum sub hypochondrio sinistro incedit, hoc istâ irritatione molestâ, sub qvâ intestinum dolere incipit, istud in contracturas, & spasmos convulsivos cogitat, à qvibus doloris mira exacerbatio & crudelitas, cum intestina velut per crampum contracta corrugataqve dolorem manifestent suum. Nam contractura est equidem sensationis irritatæ s. doloris effectus s. conseqvens, nihilominus tamen hac accedente mirè augetur dolor, adeò ut qui anteà ferè insensibilis esset, nunc crudelibus tormentinibus partem spasmico convulsam qvodammodo dilacerare videatur. Oculari

C

exem-

1364.

exemplo hoc confirmat *Helmont. Tr. de flatibus* §. 38. & *de Lithias.* c. 9. §. 132. Mitiora hæc sunt, ubi scybala indurata solùm intestinum ob-sident, ast si mucilago tenax acore peregrino rosivo imbuta perti-naciter ipsi adhæserit, hujus ponticus acor in viscidâ materiâ obstinate hærens & continuò rodens, partem perforare qvâsi vi-detur, & ad ejus propulsionem frustaneam tamen, irritata intesti-na sese convellunt, & corrugant, unde crudeles lationes & torsio-nes, subindeq; recurrentes pungentes lancinationes misero modo ægros torquent: simili ratione atq; purgantia medicamenta, qva-tenus eorum particulæ subtiliores intestinis inimicæ his pertinacius affixæ hærent, horum spasmos ac dolorificos cruciatus inducunt; Sic antimonium in substantiâ assumptum, membranas Intestino-rum vellicando tormentosam hypercatarsin infert, uti & resinæ ve-getabilium, item arsenicalia incautè usurpata, horrendos vomitus ac hypercatarses dolorosissimas inducunt. Periculosior est flatu-um procella, qvi ex vitiosâ, à p. n. acore, fermentatione excitati, & sub hypochondrio sinistro nonnihil coerciti, sui acrimoniâ & exoticâ impressione gravem dolorē inferunt, unde convulso con-tractoq; intestino & exitus ipsis præcluditur, & simul retropellun-tur, undè vagos ac oberrantes, in primis tamen sinistro in latere fre-quentius recurrentes, cruciatus excitant: Distendunt namq; hi in-testinum, & hac violentiâ sensationē dolorificam inferunt, auctorē contracturæ & consequeenter torquentis convulsionis. Vid. *Hel-mont. loc. suprà cit.* Dictis lucem affundit experientia ocularis Ma-gnif. Dn. D. Welschii Mæcenatis & Hospitis mei omni observantiâ colendi; qvi dum Anatomicas fasces gereret, in sectione colicis cruciatibus enecati, deprehendit totum Colon à flatibus immensùm distensum, sub insertionem v. in intestinum rectum, ubi simili modo ac mediâ sui parte sub hypochondrio sinistro in gyros contorqvetur, adeò coarctatum, ut nil magis visum fuerit, qvâm planè ibi coaluisse; ipse v. defunctus per qvatuordecim dies sævissimis tormentibus cum sonitu ac fragore sæpius horrendo, dilaceratus fuerat.

§. 9. Qvod si spasmæ hi intestinales freqventius recurren-tes, per nervulos eorum ad plexus communes in mesenterio deri-ven-

ventur, ex his ipsis contracturæ istæ spasmodicæ in alias qvoq; vicinas partes, ex eisdem plexibus nervos accipientes (nam vix in infimo ventre datur pars præter Diaphragma, qvæ non de iis nervos participet) contorquentur, unde totum abdomen excruciantes dolores ex vago & inordinato hoc spirituum motu occupant; qvare & vomitus pertinaciores subinde superveniunt, qvin & in mulieribus similes cruciatus, ac si foetus enitendus foret, inferuntur. Id qvod clarius patet, modò consideremus Colicam Nephriticam, s. istos abdominis dolores ac vomitus sæpè crudeles, qvi calculo Renum tortori superveniunt, nam & hi ipsi non nisi per tales spasmos, à renum nervulis mesenterii plexibus communicatos, & hinc ad intestina & stomachum vibratos, ibi qve convulsivos tales dolores inferentes, producuntur.

C A P U T IV.

Signa Diagnostica & Prognostica proponit.

§. I.

Diagnosis Doloris Hypochondriaci ex ejus historiâ cap. 1. recensitâ per se patet; Saltem distinctiva evolvenda sunt signa, qvibus & causæ inferentes à se invicem distingvantur, & qvomodo à cognatis sibi affectibus discriminetur, intelligatur; Ex qvibus judicium formari poterit, an brevi vel diu duraturum sit malum, & an graviora symptomata malum redditura sint periculosius, an v. minus periculosum ista remissiora.

§. 2. A scybalis malum oriri docet dolor fixus sub costis nothis, cum qvodam gravitatis & ponderis sensu; tumor tunc durus, interdum ad coli situm deorsum versus protenditur, ut hoc in exemplo à *Sylvio prax. c. 9. §. 57.* recensito elucet; Adeòt contumax alvi obstructio; Præcesserunt causæ externæ ad excrementorum indurationem & retentionem disponentes, qvales sunt balneum, fudores, exercitaq; nimia, assumpta duriora ac viscidiora, potus parcior haustus, uti & vitam sedentariam dispositivè concurrere, & urinam copiosius redditam illas producere testatur ipse *Hippocrates aphor. ultim. sect. 4.*

C 2

§. 3. Mu-

M366

§. 3. Mucilaginem ponticam, acidam, pertinacius *coli celi-lulis in sinistro hypochondrio adhærentem*, esse causam hujus doloris ex eo fere patet, qvòd dolor sit perterebrans, fixus, & ferè continuus, qvod adsit sensus contorsionis in isto loco admodum dolorosus, & punctiones cootinuatæ: qui dolores si fuerint graviores, subinde & reliqvis intestinis & mesenterio per consentium affectis per totum abdomen successivè, & hinc ad lumbos detorquentur. Eandem ulteriùs manifestant ciborum fastidium, singultus, vomitusqve pituitosi, ætas consistens, crapula frequentior, & alvi reseratio sine doloris remissione.

§. 4. Flatus esse causam horum dolorum, ex hoc elucet, qvòd vagisint & modò cessent perinde recurrent, adsint simul borborygmi & murmura avpominis, regio hypochondriaca tumeat & turgeat non secus ac sæpius totum simul abdomen, manu sinistro lateri admotâ cesseret dolor, flatus per inferiora erumpentes malum levent, subinde etiam ructus per superiora missi dolorem minuant, adsit difficilior ac impedita nonnihil respiratio, ipse æger sit Hypochondriacus & aliàs flatuum generationi obnoxius, præcesserint assumpta alias dicta flatulenta, item effervescibilia, de quibus cap. præcedente dictum.

§. 5. A cognatis sibi affectibus discriminatur facile, & i. quidem à peritonæi & musculorum doloribus; qvia *hypochondriacus* est profundior & qvod musculorum ille, facilè tactu deprehendi possit, nam compressi leviter dolorem inferunt teste *Sennerto prax. p. 488.* 2. Minus facile à cardialgiâ, oriunda, videlicet, ex iisdem ferè causis in stomacho, ex qvibus hic noster affectus in intestinis, undè & inconvenienter licet, colica ventriculi vocatur: Hæc ipsa sæpius per συμπάθειαν dorsum supremamqve lumborum regionem affligit, interdum etiam inferiora petit ac egregiè dolorem Colicum mentitur, undè non raro errores in curatione nascentur, observante id *Schenk* de qvibusdam Medicis, ægrum de dolore anteriori stomachi converentem, pro cardialgiâ laborante habentibus, qui tandem Clystere utiliter applicato, dolores hos à *Colo* provenisse cognoverant. 3. Ab Iliaco dignoscitur, ratione loci qvod hic circà umbi-

umbilicum magistorqueat, item quod scybalia & magis quam natu rejiciantur, quodque brevioris sit morae. 4. Inter dolorem *Hypochondriaco colicum* & nephriticum, ob vicinum situm & per plexus mesenterii nerveos conjunctionem, sibi multum affines, id discriminis observatur, quod hic minus sit tensivus, sed gravans & fixus, deorsum tendat ac ureteres laedat, & urinas colore lacteo ferent cum copioso sedimento tingat, id quod non fit in illo; Licet etiam 5. Hæc passio hypochondriaca sèpè complicetur cum hysterica passione in mulieribus, dum dolores in hypochondrio sinistro incipientes, in medium abdomen contorquentur, & ad spinam dorsi lacinantes, vehementes præcordiorum angustias inferunt, immò interdum in inguina descendunt & q.s. fœtus enixum representant; qualem dolorē mulieri inde à tempore abortūs saepius recurrentem & semper ex hypochondrio sinistro incipientem, & abdomini torminā inferendo ad inguina & lumbos descendantem, carminantium tamē & pituitam acidam evacuantium usū cessantem observavit. Dominus Praeses: attamen à se invicem discriminantur, quod rarius in suffocatione hysterica fixiā hypochondrio sinistro inhæreant dolores, & quod in passione hysterica majores borborygmi ac tumultus oriantur in medio abdominis, quod item majores præcordiorū angustiæ ac anxietates, non raræ quoque lypothymiae adsint, id quod in dolore nostro evenire non solet; ut taceam faucium angustias, vertigines, ac horrendos, saepius etiam ridiculos gestus, qui passionem hysterica comitari solent. Qvibus notis ulterius distinguendus sit *Hypochondriacus*, à reliquis abdominis doloribus affinibus, dicere superscedeo, & facile cuvis patebit, qui partem affectam situmque ipsum doloris attendet.

§. 6. Prognosin quod attinet, caret malum hoc omni ferè periculo, si pars modò coli in primis verò circà finem labore, clysteribus eò facile penetrantibus; minus verò facile medicaminibus se præbet, si totum intestinum fuerit infarctum, tunc enim diuturnā morā, sui acerbitate, vigiliis, inquietudine, similibusque, vires insigniter dejicit, idque eò magis si malum hæreat in *intestino tenue* hypochondrio sinistro substrato. Contumacissimum curatu

est, si à mucilagine ponticâ & pituita vitrâ oriatur, nam supervenire solent convulsiones, abdomen sæpius quasi excavantes, & umbilicum interiora versus retrahentes. Nec minus periculosa est hæc passio, si oriatur à scybalis diutius retentis, periculum enim est, quin ad volvulum aut inflammationem partem affectam disponat; si verò à flatibus originem ducat in tympanitidem abire potest, aut distendendo nimis abdomen, ad umbilici intumescentiam, aut herniam disponere, observante id *Forsto lib. XXI. obs. V.*

C A P U T V.

Medendi rationem Doloris Hypochondriaci docet.

§. 1.

UT denique compescatur tam atrox furia, salutares opem ferrunt Medicorum manus; quæ procelloso morbi turbine sedato, exoptatam corpori serenitatem reddunt; remedia scilicet hæ afferunt, quibus malum auferunt, inventa per indicationem mediante ratione, confirmata per experientiam, illustrata per analogismum. Ut dolor evideat sifatur, anodyna in genere dicta, item, in specie narcotica requiruntur; Ut causæ removeantur variæ, varia tentanda sunt, scybalia dura emollienda & evacuanda, mucilago viscidæ incidenda, abstergenda & expurganda, flatuum proventus inhibendus, & eorum ex acido origo destruenda: Quibus coronidis loco, præservationi ab hoc malo dicata, adjungenda erunt.

§. 2. Fontes ex quibus hauriuntur remedia salutaria, pro his scopis sunt Chirurgicus, Pharmaceuticus, & Diæteticus; prior vel pauca vel nulla subministrat auxilia, pro nostro evideat affectu, mitioribus ferè succumbente, nec crudelem Chirurgi opem postulante; ob id ea, quæ à Pharmaciâ ex tribus regnorum divitiis, & ex diæticâ suggeruntur, in primis producemus: initium faciendo à causarum remotione, ut eo tutius postmodum ipse affectus dolorosus deleri possit.

§. 3. Si E. induratæ fæces obfesserint coli cellas, & quæ sub hypochondrio sinistro sunt, angustias, optimum erit, eas primâ quâ-

quâque occasione per confuetam portam inferiorem educere: Convenit tamen his præmittere emollientia, qvibus humorum crassities attenuetur & diluatur, ac viarum impedimenta amo-veantur. Utrique scopo satisfaciunt, in primis clysmata, licet enim Helmont eorum usum ceu pudibundum & quod vix citrâ ruborem à Medico svaderi possit auxilium, rejiciat, tamen argumentis ejus non nihil satisfecit Hoffmann. *opere de methodo medendi c. X. l. I.* & quotidiana experientia ipsi aperte contradicit, quæ saluberrimum clysmatum usum creberimè ostendit, quem etiam ulterius sufficienter confirmat Mæbius in *dissert. eruditâ & eleganti de usu clysterum medico*, cuius verba sunt: *Clysmata cunctis intestinorum ægritudinibus levamento sunt, s. calida s. frigida ad sic intemperies, eam corrigerem poterunt;* & paulò inferius addit: *Ut autem alvus non à fæcibus exsiccatis tantum, sed etiam à flatibus induratur, ita & illis exterminandis & disproprietatibus clysteres inseruent;* & rursus: *in affectu hypochondriaco scorbutico, mel' ancholiâ hypochondriacâ, febribusq; intermittentibus, ubi alvus ferè semper est adstricta, incredibilem ferunt fructum clysmata, s. molliendo s. purgandorem tractare velis &c.* Clyisma itaque tale pro usu emolliendi injecisse è re erit. Rx. Rad. alth. Rad. lil. albor. aa. ʒ. H. Malv. Summitat. melilot. aa. mi. coq. inf. q. Δ hord. Colat. Rx. ʒ. ix. add. bened. laxativ. ʒ. j. olei lili- or. albor. rapor. aa. ʒ. vitell. ovor. Num. j. M. pro Enemate: vel hujus loco lac vaccinum cum melle ȝali instar clysmatis injectum, & fæces emollit, & lubricando vias eductionem facilitat; Clyster etiam ex solo oleo lin. & rapor. aa. ʒ. iv. aa ʒ. v. injectus & ad tempus retentus, mirus est ad alvum à scybalis impetitam resol-vendam; Clyster hic acui potest cum ʒ. s. vel ʒ. v. olei diacolocyn-thid. Overctan. Hinc namque ferè simili ratione alvum per tres hebdomades pertinaciter à fæcibus induratis obstructa, aliis omnibus irritis reseravit Rulandus injectis singulis horis ʒ. iv. olei olivar. undè emollitis post 3. horas scybalis, hisq; præduriis copiose reje-ctis æger est restitutus. Vid. *Thesaurus Rulandi p. 233.* Qvalem succes-sum idem author *cis. loco p. 236.* per oleum lini ad ʒ. v. nunc solum, nunc cum ʒ. s. trochiscor. alhandal injectum, obtinuit. Qvod si ta-men contumacia stercora hæc & similia lenia non promoverint,

ad

1370

ad acriora pergendum, & clysmatis lenientibus Θ is gemmæ 3j. ad 3ij. permiscendum: hoc enim ex experientiâ luculentâ *Foresti lib. 21. obs. s.* scybala emollit, ac intestina ad eorum expulsionem irritat; ubi tamen observetur: omittenda tunc esse oleosa, & mucilaginosa ingredientia, ne his ipsis obtundantur aculei incidentes, emollientes & stimulantes Θ is gemm. Qvod si v. neq; ve hæc sufficere videantur, pulp. collocynt. in petiâ ligata istis incoqvenda est, v.g. R. flor. mellot. verbasc. Chamomill. aa. mj. sem. lin. 3vj. pulp. colocynth. in petiâ ligat. 3 β . ad 3j. coq. in f. q. v. simpl. colatur. R. add. Electuar. laxat. 3 β Θ gemm. 3j. M. F. Enema. Hisce Em-matis injiciendis, externa emollientia applicanda loco dolenti, aut fomenta ex sacculis emollientibus vulgo notis in lacte coctis, item alia decocta emollientia adhibita, suppetias ferunt, uti & oleis linimentis ac unguentis emollientibus, cum felle δ , aut ungvento v. g. de artanitâ, dialthæâ acuatis & hujusmodi aliis epomphalicis dictis, simul stimulantibus illitis, natura adjuvatur.

§. 4. Qvin & non incommode erit, assumptis simul per os, emollientibus dura, aut lubricantibus intestina, scybala dolorifica loco suo sub hypochondrio sinistro deturbare. Usitatus hic est esus largior butyri, aut oleum amygdal, dulc. ab 3j. ad 3ij. sive plures in juscuso calido sumpti; quo potentius adhuc & certioris effectus est oleum lini singularissimum hoc antipleuriticum, de quo *Vid. Gabelchouer. C. 4. cur. 68.* quo ub 3j. ad 3ij. cum syrup. de jujub. vel violar. & aliquot gutt. olei destillat. anis. (ut hoc odor fastidiosus, illo verò sapor. nauseosus corrigatur) exhibito, mirè solvuntur ac abluuntur scybala dura, torminum Hypochondriacorum authores. Pertinet hūc mica panis tosta, & oleo olivar. irrorata manè deglutita, remedium à *Borell. l. 2. obs. 14.* commendatum. Lactis quoq; ve largior haustus aut qvod melius est serum (cujusvis Θ osa intestinorum abstensiva mira hīc præstat) vel solum vel cum melle attemperatum assumpsisse conducit. Inprimis verò passulæ minores salutarem hic ferunt opem, sive pulpa earundem, sive decoctum cum stimulo Φ eo assumatur, hoc namq; ve blandissimè alcum subducendo fæces induratashinc inde hæretes abstergit, emol- lit.

emollit atque lubricat, unde speratus vix fallet successus; Idque eo magis si uno altero vè blando laxativo acuetur eorum virtus. *Hypochondriacis* sanè, qvibus ob induratas alimentorum scorias, sive ob acidum pancreatis austерum, nimis eas coagulans, s. ob pituitam acidam vitio digestionis stomachicæ prognatam, eas glutinosas reddentem, tantum non continuò obstructa est alvus, optimè conducunt passulata, qvæ inter seqq. potio palmam obtinet R. passular. min. ʒj. contund. in mortar. lapid. ad consistentiam pult. coq. in v. simpl. ff. iij. Colatur. fervent. tib. j. infund. fol. senn. f. stipitib. 3 iij. tremor. Ə pri 3 j. fl. violar. p. iij. stent in loco calido per noctem, mane filtretur D. S. *Froßnender Trank*. cuius haustulus mediocris esuriente stomacho assumendus, palato gratus & blandissimum *Hypochondriacis* laxativum existit, fæcesq; ve induratas aut viscidas svavissimè educit. Aut usurpetur pulpa passular. cum tremore & Ə pri subacta, & aliquot gran. extract. trochisc. alhand. acuata, qvæ dat Electuar. non inconveniens ad scybalia svaviter promovenda, & ibidem natos dolores Hypochondriacos fitendos. De passulis & prunis laxativis communiter notis, nil addere placet.

§. 5. Juscula quoque & ex blandis emollientibus parata decocta qvibusdā in usu sunt: qvorum formulas præscribit *Barbett. prax. p. m. 73.75. It. Horstius C. s. obs. 8.* Qvibus emolliendo dura ac sensim lubricando intestina subducitur alvus. Sed his levioribus missis, si pertinacior fuerit induratarum fecum infarctus, ad 2 um vivum ceu sacram anchoram configendum erit; & propinari poterit ab 3 j. ad tib. j. & plures, pro ratione circumstantiarum; & sanè hujus permeans fluxibilitas, etiam impactissima stercora permeabit, & excernibilia reddet, qvin & volvuli hinc oriundi metum omnino eximet; cuius felicem usum deprædicatum, vid. apud *Heer obs. 2. Fontan. conf. & respons. p. 85. Mænichen. obs. 6. ad cultr. anatom. Lyseri annexa.* Præ ceteris efficacia ejus ex seqq. patebit epist. ad B.D. Michaëlem à Celeberrimo Erbenio exarata, ad hunc vocor febricitantem, & pertinaci constipatione, variorum catharticorum fortissimorum enematum, per XI. dies contemtrice, ad brachia usque tumefactum. Fussi alvo applicari ex arte fol-

1372

lem ferrarium, ut beneficio inflationis excrementa illa indurata & perustā febrili calore ab intestinis cohærentibus liberarentur, sed irrito conatu. Unde ipsi propinavi līb iij. & vii, q̄ vi mole suā & mobilitate patientem inter deambulationes primū, mox saltationes, denique ventionem curru über Pflaster und gebaute Acker alvo rebelli & morti imminentि eriperet; Sed omnis conatus fuit vanus. Lento processu suo & labore & us excrementa ita liq̄ vefecit, ut nocte, ab assumpto & io, blande effluenter, dormiente nec advertente patiente, donec exerge-factus stratum ac cubiculum pollutum, atq̄ ex & io à menstruo microcosmico resoluto in argentatum videret: sine seqq. convolutionibus.

§. 6. Qvod si v. non tam induratæ feces, qvām, qvod frequentissimè contingit, mucilago acida & austera parietibus coli inflexi adhærens, cruciatuum hypochondriacorum terebrantium & contorquentium extiterit causa, (licet cum hāc flatus ut plurimum concurrant, de qvibus inferius dicetur) hæc incidenda, attenuenda, & per inferius guttur rejicienda venit. His usibus nunc injecta clysmata, nunc applicata fomenta & emplastra, nunc appropriata pharmaca propinata inserviunt. Clysmata itaq̄ incidentia, & solventia superius allegata; in primis ex & colocynthide, hic etiam erunt appropriatissima: item qvæ fiunt ex jure pisorum cum saccharo, melle & & æ, nam & hæc eleganter detergunt mucilaginosas fordes viscidas: qvibus ubi fortius agendum est, addit suam & benedictam Rulandus (loco cuius infusum vel decoctum vulgaris croci metallorum substitui potest) dum in desperatis ferè abdominis doloribus seqq. clysterem subinde repetendum, felici cum successu applicat. R. Juris pisorum zvij sacchari zβ. & benedict. nostr. zj. β. olei commun. ziv. Misce aa, & injice qvāvis horā doloris recrudescentis calidè. Confer. River. Cent. 1. obs. 67, & cent. 2. obs. 12, & cent. 3. obs. 22.

§. 7. Hisce succurrendum est externis emollientibus, & pituitam viscidiā solventibus: qvæ inter excellunt gummata emplastri formā loco dolenti, ac à pituitā obsesto applicata; Gummi ammoniacum hic cæteris palmam præripit, undē & emplastrorum spleni tributorum, non minus qvām ad tumores scirrhosos qvosunque, etiam scrophulas, applicandorū ferè existit basis: convenienter

ter itaque usurpatur *emplastrum spleneticum Aquapendentis*, ex duabus partibus ammon. in F soluti, una succi nicotianæ, dimidiâ resinæ & therebinth. & succi ebulicum oleo de capparibus & q. s. ceræ mistis paratum; Item *emplastrum de cicutâ & ammoniaco Heurnii & Sennerti ad splenis scirrhos aliasq; obstructiones usitata*, malaxanda cum oleo succini vel capparum. Præ cæteris elegans est *emplastrum carminativum Sylvii*, quod exhibit *praxeos ipsius p. 169.* ad liqvescendam & emolliendam viscidam hanc pituitam optimum: Alii tale *emplastrum applicandum* syadent. Rx. Gumm. ammon. in F solut. $\frac{3}{2}$ j. Tacamah. Emplastr. de mucilaginib. aa. $\frac{3}{2}$ s. Sal. ammoniaci $\frac{3}{2}$ j. $\frac{3}{2}$ M. F. Emplastr. in formâ debita loco affecto imponendum. Ante v. horum applicationem, non incommodum fuerit præmittere inunctionem loci ab hâc pituitâ obseSSI, cum oleo laurino, capparum, lil. albor. nicotian. cum oleo destillato laterino, vel ammoniaci, fœtido licet, permistis. Item adhiberi commode poterit unguentum martiatum purgans, his ipsis oleis dilutum.

§. 8. Sed raro sufficiunt externa, aut infusa clysmata, ut plurimum internis pituitam acidam s. austera detergenteribus, resolventibus ac evacuantibus, simul succurrendum. Primatum denuò hic obtinent gummata vulgo nota, in specie ammoniac. undè etiam eodem paratæ pillulæ & potiones, ad corrigendam & detergendam hanc pituitam sunt optimæ; ita prostant pillulæ *Quercetani* ex ammoniaco, item lac ammoniac. Bartoleti *Encyclopæd. lib. s. cultimo* paratum ex ammoniaco, cum F ex citri succo saturato, facit & huc spirit. ex gumm. ammoniacum cum virid. ær. & $\frac{1}{2}$ atus, admodum incisivus, penetrans, & resolutivus pituitæ viscidæ vitreæ. Ad ammoniaci vires proximè accedunt reliqua gummata vulgo nota: bdellium, tacamah. sagapen. opopæn. myrrh. & mastich. &c. Ad evacuandam v. pituitam istam viscidam, colocynthide & ex hac paratis extract. trochisc. alhand. ac aliis nullum præstantius datur, quemadmodum & seqq. hæc potiuncula, licet ingrata, expertissima tamen est in simili dolore à pituitâ vitreâ & ponticâ, tam in intestinis, quam in specie sub hypochondrio sinistro stabulante. Rx. $\frac{1}{2}$ menth. $\frac{3}{2}$ j. cinnam. $\frac{3}{2}$ s. gumi ammoniac. in F solut, scrup. j. ad

DISPUTATIO MEDICA

1374
28

3*β.* **F**ri **G**lat. **s**crup. *β.* ad gr. xv. sc̄ammon. rosat. Extr. trochisc. al-hand. aa. gr. ij. syrup. de pomis *β.* M. F. potio, qvæ unā vice hau-sta x. s. xij. interdum ultrà xv. vices, viscida & mucilaginosa, cum præsentaneo ægri levamine & doloris cessatione eduxit. Præ-ter hæc est & **¶** dulcis cum laxantibus propinatus, pituitæ vitreæ præstantissimum detergens, unde hujus optimum eradicativum non sine ratione has pillulas appellat *Deodatus in valetud.* p. 246. Rx. MP. cochiar. min. scrup. j. aqvilæ alb. dulcis gr. xvij. aut xx. olei anisi gutt. ij. M. F. pillul. pro unâ dosi. D. S. &c.

S. 9. Nec hic prætereunda sunt **¶**ea, qvorum virtus pitui-tam hanc viscidam & acidam incidendi & detergendi manifesta erit, si attendatur constare **¶**rum primariè ex copioso acido subtili, qvod junctum est sufficente **Θ**e volat. de naturâ alcalium, præter feculentias qvasdam terrestres cum pinguedine qvadam **¶**ea inter-textas, ratione qvorum **Θ**ium experti usus est tremor **¶**ri impri-mis cum sal. tartari junctim propinatus; similiter qvoqve condu-cit **¶**rus **G**latus, sed non communi modo ex spiritu **Θ**li sed ex ipso **Θ**lo soluto modo *Tacheniano* paratus. *Vid.* hujus clavis ad *Hippocra-tiem chym.* non minus qvam spiritus **¶**ri volat. in primis v. ex fecibus vini prolicitus, beneqve rectificatus, aut qvi ex **¶**ro cum **Θ** per Retort. tubulatam in Sp. vini propellitur, & post rectificatur, ac sa-porem & odorem perfectè urinosum volatilem acqvirit; spiritus carminativi nomine alias decantatus. Cui præferendus adhuc est spiritus volatilis, qvi ex **¶**ro cum proprio alcali fermentato instar spiritus **Θ*** ci subtilis elaboratur, hi ipsi enim convenientissima sunt auxilia, ad corrigendum saudem acrem, ac consistentiam te-nacem pituitæ istius viscidæ. Horum **¶**orum vires exaltari pos-sunt, si cum oleis aromaticis convenienter fuerint maritata, sic nam-qve potentius hanc ipsam mitigant & corrigunt, cum ipsa aroma-tica non sint ultima qvæ hanc pituitam alterent & inde orta mala corrigant; De qvibus cum jam occasione flatum plura dicendi ansa suppeditetur, ea vel innuisse sufficiat.

S. 10. Nam flatus sunt, qvi ut plurimum cum pituitâ viscidâ & acidâ juncti, dolores immensum augent, & varia simul abdomi-nis



nis Symptomata inducunt: qvorum originem jam suprà ex vitio-sâ fermentatione, ab acido peregrino in intestinorum muco viscido deduximus. Compescunt E. optimè eorum yim & impetum aro-matica, hisqve cognata alia de Θe volat. oleoso participantia, mediante qvo & acidum fermentativum tanquam hujus contrarium alteratur & destruitur, oborta fermentatio tollitur, & mucilago vis-cida resolvitur. Usurpantur talia qvatenus nunc clysmatum formâ infunduntur, nunc ungventorum specie abdomini illinuntur, nunc liqvidorum modo propinantur. Simplicia carminantia naturæ aro-maticæ, ordinaria clysterum horum ingredientia, in vulgus nota sunt, sufficiat formulam (ut ex ungve Leonem) hic annexisse Rx. rad. angelic. levistic. aa ʒβ. herb. chamomill. roman. Menth. aa m. i. bac-car. lauri ʒj. juniper. ʒβ. sem. annis. carvi. aa ʒij. coqv. in f. q. v. sim-plic. colat. Rx. ʒix. in qvibus dissolv. Electuar. de baccis lauri ʒj. mel. rutac. ʒβ. f. ʒvj. olei Ʌat. anis. fænicul. aa ʒβ. olei succini gutt. v. vi-tell. ovor. Num. i. M. pro clysmate. Huic opem ferat loci dolentis inunctio, parata primariò ex oleis Ʌatis insigniter penetrantibus (cum nihil aliud sint qvam Θia volat. ab acido volat, subpingvi in corpus oleosum concentrata) qvorum virtus exaltabitur ponendo desuper lapidem probè calefactum: Parantur tales inunctiones ex oleo chamomill. anethin. castor. laurin. cortic. Ʌat. aurantior. carv. cumin. fænicul. anis. rut. Zedoar. Angelic. macis & similibus, modò separatim modò conjunctim inungendis. Stöckeri experimentum fuit litus ex oleo laurin. ʒβ. cum ʒj. castorei paratus. Parari etiam potest ungventum h. m. Rx. olei castor ʒj. olei stillat. angelic. cort. au-rantior. cumin. anis. aa ʒβ. chamomil. sapphirin. ʒj. cum f. q. corpo-ris pro balsamo D.S. Sålblein gegen die Blähung. Pertinet huc etiam Galbanetum Paracelsi, ut alias in colicis & iliacis doloribus conveniens, ita & in nostris non minus egregium.

§. II. His associanda sunt debita interna & ipsa aromaticà; qvæ inter agmen ducunt sem. calida, dicta majora (Helmontio mi-nora) scilicet anis. cumin. aneth. fænicul. carv. dauci &c. qvorum sapor & odor aromaticus in oleo volat, fundatus, miras habet aci-dum vitiosum Gas flatuosi generativum, corrigendi & flatus inhi-

DISPUTATIO MEDICA

30

bendi dotes; cum præterè singulariter intestinis stomachoqve sint amica & ob id intestinorum solamina recte ab *Helmont.* vocantur *Tr. de flatib.* §. 75. Non enim flatus discutiunt, qvod inimaginabile, qvi alias sponte modo viæ sint apertæ exitum qværunt, sed materiam undè flatus exsurgunt alterant & corrigunt, & istam fermentationem vitiosam sistunt, ac ita impediunt, qvo minus concretum materiale in flatus s. in Gas Spirituosum vertatur, id qvod etiam reliqua vulgò appellata carminantia & in genere qvæcunqve aromatica præstant. Modus utendi est, ut in vino semina hæc propinenerit, in quo lenitè prius ebullierint, ad imitationem *Helmont.* Vel ut frequentibus cohabitationibus spirit. vini benè rectificatus earum virtute imprægnetur: aut qvod elegantius evadit remedium; spirit. vini cum Θevolat. Θ*ci arcte conjunctus, ab iisdem sæpius est abstrahendus, aut cum eorum θatis oleis conjungendus, sic enim egregium contra flatus habebitur remedium. Sed præter hæc semina & aromatum, in specie v. Galang. Zedoar. mac. caryoph. cardam. cubeb. virtus, in Θevolat. acriori, oleoso tamen, fundata, stomacho & intestinis flatibus infestatis potentes fert opes: Qvibus ex nostratis cognata & qs. occidentalia aromata sunt bacc. juniper. laur. cort. pom. aurantior. chamomil. menth. angelic. cumin. salvia & sim. qvorum spiritus & essent. sic dictæ omnibus sufficienter cognitæ. Singulares inter has obtinet virtutes essent. chamomill. in specie roman. combinata cum rad. aromaticâ Zedoar. & cum spiritu proprio parata, usurpanda à gutt. XX. ad XXX. Nec ultimo loco reticenda est, virtus amygdalar. amarar. qvæ artificiose præparatæ singularem planè vim carminantem obtinent. Hisce vegetabilibus animalium aromata addenda: e.g. castoreum & omnia ex eo parata, it. Zibeth. interno pariter ac externo usu commendatissimum & à Paracelso in Colico dolore umbilico inunctum; Qvibus & stercora animalium non minus interdum fragrantia specialiter v. eqvinum addo, qvod in flatulentis abdominis affectibus presentissimam affert opem, undè pariter colicæ ac hystericæ passioni succurrit. Excreta hæc animalium manu nos ducunt ad Θ mirabile concretum Θnum, ex iis ut plurimum petens natales, & inter-

car-



DE DOLORE HYPOCHONDRIACO.

31
1377

carminantia vel maximè enitescens. In primis v. Spiritus ejus probè cum Spiritu vegetabilium dulcificatus, & ab acore nimio temperatus hic convenit. Eligendus v. pro hoc scopo erit spirit. vini ab aromaticis carminantibus cohobatus, & horum partibus volatil. probè imprægnatus, cuius descriptionem egregiam suggerit *Sylvius prax. p. 90.* hujus duplum cum Spirit. ① part. i. junctum & cohobando unitum, egregium subministrat spirit. carminantem. Non dissimili ab hoc modo *Spiritus anticolonius B. Michaelis paratur*, qvo excellentius pro hoc malo eradicando non datur.

§. 12. Et hac ferè ratione causæ tolluntur, qvibus extirpatis cessare etiam atqve evanescere solet, ipsa dolorifica passio. Verum si tormentosa hujus subinde recurrent vestigia, aut si mox in principio talis sit vehementiæ, ut aliis prætermisshuic ceu primariò urgenti occurrentum sit, sui remotionem innuit per anodyna & narcotica usurpanda, qvæ inter papaverina emicant remedia, horumqve princeps opium, in primis si in laudatissimum exaltatum fuerit laudanum, cuius saluberrima usurpatio, omnes dolores ex spasmodicis intestinorum convulsionibus obortos à qvâcunqve hi excitentur causâ occasionali exoptatò sedabit. In primis si cum aptis specificis combinetur, in specie qvidem cum seminibus istis calidis supra laudatis, aut inde elicitis remediiis, aut cum castoreatis medicamentibus, qvæ singulari virtute convulsivos intestinorum motus, indeq; natos dolores sedant & quietant. Laudanum commendavi opiatum, s. istud qvod ex correcto hoc paratur; Cujus correctiones omnes superat qvæ fit per fermentationem cum succo cydoniorum videnda in epist. 45. Cent. 3. Bartolin. Eandem etiam cum succo pomorum Borstorfforum instituere Dn. Praeses in more positum habet. Juxta hanc est optima ea, qvæ per alcalia fixa, primariò qvidem ♀, hinc ①, per ♀ vegetabile carbonum præparat. instituitur. Qvibus modis paratum opium tutum ac omni laude majus evadit remedium, qvod ipsum etiam pro circumstantiarum urgentiâ cum purgantibus propinari potest, præcunte nobis non tantum Rhumelio in compositione pillular. antipodagricarum, qvas ob laudanum admistum vocat, *Veni Amice surge & ambula: jatreo chym. p. 725.* Sed etiam Stöcker. qui in prax. cap. 36. p. 197. ceu expertas insigniter ad colicum dolorem commendat has pillul. R. aloës succotr. vel pil. Iul. aleophangin. 3j. s. scrup. jv. opij, croci, aa. gr. i. vel 2. M. F. pillulæ jejuno stomacho exhibenda, qvas I. dolorem lenire, hinc etiam blandè evacuare asserit, cum speratâ denuò salute. Confer. River. C. 1. obs. 63. & C. 2. obs. 1. Poter. 3. c. 27. &c. His & similibus internè usurpatis, nullum dubium est, qvin cessaturus sit dolor; Nec minus hos sedat opium cum Clysmatis ano injectum à gr. iii. ad x. mistum, sed caute & ultrà qvam dosin vix ascendendum. Vid. Borell. C. 4. obs. 92.

§. 13.



A378
 §. 13. Hæc sunt remedia ex fonte Pharmaceutico contrà dolorem *hypochondriacum* desumpta; Diæticum qvod attinet fontem, hic circa 6. res non naturales dictas, medias inter statum sanitatis & ægritudinum, & vel ad hunc vel ad illum pro varietate circumstantiarum disponentes, primariò versatur, Eminet inter has aer, qvi vitetur frigidus, moderatè verò calidus eligatur. Ab hoc sunt *assumpta*, ex qvibus respuenda sunt crassa, viscida, dura, & cruda, ut carnes sumo induratae, aut conditæ copioso Æ comm. qvia scilicet proprio Æ volatili sunt exutæ, difficilis coctionis, parcí nutrimenti, ac copiosi & vitiosi excrementi, hinc pisces, castaneæ, cydon. pyrus, &c. it. qvæcunque astringentia, & fructus horœi, qvia hi fermentando facile acescunt, & copiosas flatulentias producunt. Nocet etiam si qvod aliud, vinum largius haustum, nam aciditate suâ volat. extrà stomachum toti corpori pestiferâ, intestinis tormina colica, artibus v. paræses inducit: Lactis usus est suspectus, ex eodem verò, separatâ parte caseosâ & butyros à, emergit serum, medicina, *malo hypochondriaco* non inconveniens, videlicet, qyatenus abundat Æ volat. Os de naturâ armoniacali & ita sordes primarum viarum abstergit, simulqve alvum blandè stimulat; Convenit etiam aromatum usus omniaqve aromaticæ: it. allium & alliata, cepaceaqz. colicæ ex mucilage acida & inde productis flatibus sunt remedia. Capparum eus est optimus, cum detergent & incident sordes mucilaginosas. Panis seligendus est benè fermentatus huic enim; & in primis secalino; inest spirit. acidus volat. stomacho amicus, qvia qvodammodo ejus fermento est homogeneus; qvâ ratione coctionem reliqvorum ciborum multorum adjuvat. Condimenta ex sinapi utiliter adhibentur, item pruna & hinc decocta. Potus sit cerevisia probè fermentata, non triticea, qvæ sèpius est crassa hinc fermentativa & conseqventer flatulenta, non recens, non acida. Vinum absinth. & heleniatum conducit, si malum non sit ab induratis fæcibus. *Somnus* moderatus ut dolorem lenit, ita qvies egregiè ejus exasperationem prohibet. *Motus* nimius in lecto & jactatio inquieta dolorem exasperat, ac violentâ corporis contorsione abdominis qve compressione, mutuum intestinalium in se invicem ingressum, ac tandem ileum inferre potest demonstrante hoc Cl. Sylvio prax. Cap. 15. §. 19. *Altus*, quantum fieri poterit, servetur aperta, eadem obstructa arte provocetur. Vomitus hic est utilissimus, eumqve singulis mensibus semel provocandum esse, vel op timè monet *Langvius* lib. 1. ep. 30. id qvod in primis vitam sedentariam agentibus dictum esto. Deniqve ne malum hoc exasperetur cum vehementiores animi affectus, tum præcipue ira, viperino sangvine pejus est vitanda.

F I N I S.




153154

X2615746

R


W 17





Farbkarte #13

B.I.G.



36.
DISPUTATIO MEDICA
De
**DOLORE HY-
POCHONDRIACO,**
vulgò sed falsò
putato
SPLENETICO,
Qvam
Sub Præsidio
Viri Nobilissimi & Experientissimi
MICHAELIS ET MULLERI,
Phil. & Med.D.
Publicæ Philiatrorum censuræ submittit
Author-Respondens
EMANUEL BLUM,
Hamburgensis.
Addiem 4. Maii. Anno M. DC. LXXI.
H. L. Q. S.

LIPSIAE,
Apud NICOLAUM SCIPIONEM.
Anno M. DC. LXXXIII.

